

**Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.****Wersja krakowska, wariant wawelski**

Rękopis Biblioteki Uniwersytetu Warszawskiego, sygn. 5, k. 6–6v

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 112 [Gn. 113]

[112] Nunc attendatis de civitate Meydburg. Cum primo Meydeburg locata fuerit seu fundata imperatoris Othonis Magni consilio, et cum terre arbitrio, et fuit stabilita in suo iure, sicut nunc tenet in suo iure municipali secundum consuetudinem antiquorum, et Hallis civitas ex ea est fundata, idcirco utraque una utitur iure. Eapropter omnes de Polonia et de Bohemia, de  $\vdash$ Mys<sup>a</sup> $\dashv$  que sub iure Theutunico sunt locati et marchia de Mynensi provincia, et de marchia Luziciensis, hii omnes ius suum in Hallis recipere debent, et de civitatibus, que in hiis statutis sunt locate. Et si sententiam ignoraverint aut defectum in ea habuerint, hanc oportet querere in Myedburg. Idcirco, quia omne municipale ius protegit, quod iure terrestri fieri non potest, [k. 6v] qui cum sententia reprobata de marchia ad comitatum trahi possit, quia marchio secundum suum arbitrium aut propriam gratiam iudicat, quod comes non facit, sed iudicat sub banno regio. Hoc idem fit in omnibus civitatibus, ubi sit bannum regium, ubi vir demeretur tria talenta iudici feodato sub regio banno. Si autem iudicatur sub regio banno, tunc scolteto octo solidi demerentur de iudicio sententiis scabinorum. Idem fit burgrabio. Scabini xi debent esse, et scoltetus sit duodecimus<sup>a</sup>, quia burgrabio primam sententiam diffinire debet. Quia burgrabius nullum iudicium absque scolteto banitum habere potest, nec scultetus absque xi hiis scabinis in vero loco iudiciali.

<sup>a</sup> w rkp. xii<sup>us</sup>

[hasła: miasto, Magdeburg, Otto Wielki, prawo niemieckie, zwyczaj, Halle, Polska, Czechy, Miśnia, Marchia Łużycka, wyrok, skarga, sąd królewski, sołtys, sędzia, ławnik, burgrabia, sąd wyłożony]